This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

G A Oxon 8° 112

2474 f. 3

QUÆNAM FUERIT MULIERUM APUD VETERES GRÆCOS CONDITIO?

ORATIO

IN THEATRO SHELDONIANO HABITA

DIE JUNII XXIV MDCCCXLVI

(2.)

OXONII

FRANCISCUS MACPHERSON

MDCCCXLVI

EXCUDEBAT W. BAXTER, OXONII.

QUÆNAM FUERIT MULIERUM APUD VETERES GRÆCOS CONDITIO?

QUÆSTIONEM sane multiplicem ingredimur: nam permagnæ fuerunt sæculi Homerici, Dorum et Ionum, tam in hac re, quam in aliis dissimilitudines. Itaque orationem nostram ita disponamus, ut quæ sint uniuscujusque gentis vel ætatis propria, quæ denique Græcorum omnium communia, pro virili ostendamus. Modo meminerimus eos, de quibus agitur, non Græcos solum fuisse, sed homines: apud homines vero quosvis non posse non multum valere mulierum formam atque ingenium, matrum auctoritatem, uxorum caritatem, liberorum pignora. Ne forte, dum omnia formulis quibusdam luculentioribus quam verioribus obstringimus, intelligendo, quod ait Terentius, faciamus, ut nihil intelligamus.

Heroica autem virtus, ut a Jove principium capiamus, bellica quædam fuit, et cum eximiis corporis viribus conjuncta. Cujus natura muliebris cum particeps esse nequeat, fieri non potuit quin, ut a perfectione summâ ablegata, æquo mi-

noris æstimaretur. Mulierum tamen conditionem honestiorem fuisse multo atque digniorem apud Homericos illos, quam in liberrimis, si Dis placet, recentioris Græciæ civitatibus, et credo, et me probaturum spero. Cujus rei causæ sunt ab ipsâ Heroum indole repetendæ. Hanc vero, ut carminum Homericorum speculo utaris, Heroum Occidentalium non prorsus dissimilem fuisse dixeris: modo religiones eximas, et qui ab iis pendent mores atque affectus. Argumento, ne acta toties agamus, Shakesperius erit noster, qui Christianorum Equitum mores atque sermones, non sine convenientiâ quâdam atque decentiâ, personis Homericis mutuos dederit. Istiusmodi vero animus, ut sublimior est ac generosior, ita suâpte naturâ fœminarum quodammodo verecundiam affert: certe non is est, qui in imbecilliores se fortem præbeat, aut justam iis libertatem indignis suspicionibus præcidat. Sed exempla proferre in promptu est. Ipsius Hectoris persona, in quâ, ut nobis, ita sibimet ipsi admodum placuisse Homerum libenter crediderim, unde magis colorem trahit, quam ab egregiâ illâ tum uxoris caritate tum cæterarum mulierum observantiâ? Hic enim, orantibus suis, ut se ultrici Achillis iræ subtrahat, obstinato in mortem animo ita secum reputat;

νῦν δ' ἐπεὶ ὤλεσα λαὸν ἀτασθαλίῃσιν ἐμῇσιν
αἰδέομαι Τρῶας καὶ ΤΡΩΑΔΑΣ ἑλκεσιπέπλους.

Eodem spectant, quæ super mortuo testificatur Helena:

ἀλλ' οὔπω ΣΕΥ ἄκουσα κακὸν ἔπος, οὐδ' ἀσύφηλον
ἀλλ' εἴ τίς με καὶ ἄλλος ἐνὶ μεγάροισιν ἐνίπτοι—
ἀλλὰ σὺ τόνγ' ἐπέεσσι παραιφάμενος κατέρυκες
σῇ τ' ἀγανοφροσύνῃ καὶ σοῖς ἀγανοῖς ἐπέεσσι.

Tum vero Achilles etiam, Heroum princeps et exemplar, quanquam in plerisque parum humanus, Briseida suam satis honeste habet, idemque verbis optime conceptis amorem conjugalem laudat,

—— ἐπεὶ ὅστις ἀνὴρ ἀγαθὸς καὶ ἐχέφρων
τὴν αὑτοῦ φιλέει καὶ κήδεται, ὡς καὶ ἐγὼ τὴν
ἐκ θυμοῦ φίλεον, δουρικτήτην περ ἐοῦσαν.

Nec alio verti debet quod Homerus, sive quis alius fuerit Hymni Apollinaris auctor, aretalogorum Occidentalium prope ritu, gloriam canendi suam virginibus Deliis servandam commendat atque prædicandam. Dein mulierum nobilium æque ac virorum nomina Epicâ illâ ἐπιθετῶν magnificentiâ ubique cumulantur; nec vel unum, quod sciam equidem, Homeri locum inveneris, quo fœminei generis contemptus, nedum odium significetur.

Accedit quod vita eorum hominum agrestis erat atque soluta, et naturam, ut quæ maxime, vivam

et incorruptam referens: quod amplificandæ rei muliebris esse satis est perspicuum. Nondum ingruerat illa publicæ felicitatis notio, quæ cum privatâ non posset satis consistere. Nondum Græcis desierat res cara esse Domus. Pro uxoribus adhuc et liberis, non pro patriâ tantum et gloriâ pugnant. Bello confecto patresfamilias fiunt, non oratores, judices, athletæ publici. Itaque mulierum Homericarum, sicut virorum, vita nobis depicta est simplex sane et rustica, cultûsque et artium elegantiorum expers, eadem tamen dulcis et honesta, et naturæ accommodata. In ædibus quidem interioribus nimium ætatem degunt, non tamen, ut Asiaticæ pleræque et Athenienses, in iis perpetuo obserantur. In atrio, ac medio convivarum circulo quotidie sedet Arete: virorum sermonibus interest Helena: libere in publicum prodeunt Nausicaa, Andromache, Troades aliæ: descendit in procorum cœtum Penelope, quanquam, ut res postulabat, cautius, et non sine comitibus. Dein studia mulierum videmus ad nostram politiorum hominum elegantiam satis mehercle inurbana. Reges, regumque pueri armenta custodiunt, boves ad epulas vel sacrificia cædunt atque torrent. Regum uxores atque filiæ artem textoriam, cujus, ut apud Heroinas Christianas, laus maxima, exercent, ancillis pensa dividunt, penum curant, liberos, civitate nondum

intercedente, educant. Inter hæc dies decurrit, nisi aut hospes forte, aut institor Phœnicius, res magna et memorabilis, intervenerit. Tum ludendi ac feriandi est occasio, quoties aut unà, ut Troades, aut singulæ cum ancillis suis, ut Nausicaa, vestes ad fluvium abluendas deferant. Quid lætissimos illos dicamus messis ac vindemiæ labores; quid choros sive sacros, sive oblectationis tantum causâ institutos, quos junctæ cum adolescentulis puellæ, festo vestitu, populo circum spectante celebrant. Quæ omnia consuetudinis, amicitiæ, amoris denique opportunitates habent.

Quodsi ipsos animorum habitus, certissima conditionis in utramque partem indicia, respexeris, si quatenus Homeri æquales indolis fœmineæ suavitatem, puritatem, elationem cognoverint, anquiras, videas nimirum matrum, filiarum, conjugum personas gratiâ quâdam nativâ plenas, sine fuco ac fallaciis. Putidum esset recensere illa, quæ omnium, qui Græcas litteras degustaverint, animis penitus inhærent—Nausicaæ adolescentiam piam, candidam, pudicam—Penelopes fidem incorruptam, majestatem vere regiam, et vel procorum insolentiæ venerandam—Andromaches animam in uno defixam, supremum cum viro colloquium, vix siccis oculis recolendum, lamentationes mentem sui parte orbatam divinitus exprimentes

ἀρητὸν δὲ τοκεῦσι γόον καὶ πένθος ἔθηκας

Ἕκτορ· ἐμοὶ δὲ μάλιστα λελείψεται ἄλγεα λυγρά.
οὐ γάρ μοι θνήσκων λεχέων ἐκ χεῖρας ὄρεξας
οὐδέ τί μοι εἶπες πυκινὸν ἔπος, οὔ τέ κεν αἰεὶ
μεμνήμην, νύκτας τε καὶ ἤματα δακρυχέουσα.

Cæterum haud scio an argumentum vel maximum φιλογυνείας istius Homericæ ab ipsâ Helenæ personâ sit repetendum. Opus vero manûs artificis palmarium! Quod qui condidit, posset idem penitus explicare; adeo subtilis est atque complexa; adeo Iridos prope ritu oculos fallit atque fatigat. Ut eam, quocunque incedat, quasi purpureum lumen ambit! Ut divinam pulchritudinem per senum admirantium susurros sentimus potius quam videmus! Ac vellem, inquies, Homerus artis suæ quod præstantissimum erat, in castitatis potius laudes collocasset. Verum enimvero hoc ipsum est, in quo maxime laborat sæculum Homericum et a Christiano illo immane quantum discrepat: nempe quod ut nec viris veriverbii, ita non fœminis pudicitiæ labem admittere summum habetur nefas, et vel morte magis formidandum. Nolo equidem in re ingratâ immorari. Verum Helena numquid facinoris sui conscientiâ videtur angi, quæ coram Menelao, coram hospitibus de Trojâ libere loquatur? Numquid sentit Menelaus se fœminæ recuperasse corpus, puram uxoris animam non recuperasse? Cujus mulierum pravitatis

ea, ut fit, virorum in causâ est levitas, quæ omnem thalami sanctitatem dirimit. Ademptâ vero pudicitiâ, quasi unico fœmineæ majestatis titulo, non mirum est, nusquam apparere generis illius verecundiam constantem, religiosam, late diffusam, qualem apud Germanicæ stirpis gentes a primordiis usque prævaluisse auctorem habemus Tacitum. Tantum abest, ut servitutem videas decoram illam atque superbam, quam Burkius noster vocat, quâ emolliantur mores, excitentur officia, vitæ quotidianæ curriculo lumen atque dignitas accedat—tantum abest ut Amorem illum deprehendas, qui fœminarum omnium reverentiâ quasi in unam contractâ, actionum nobilium fontes in se atque præmia contineat. Emuntur magis uxores, quam ambiuntur; nec animi, ut apud Christianos, sed corpora ferme appetuntur. Quod satis ridicule refert Ajacis stolida socordia septem Achilli mulieres pro unâ promittentis, ac demirantis, quidnam amplius desideret.

Postremo meminerimus oportet, eas, quas tam pulchre nobis Homerus depingit, regio esse loco: de plebeiis pauca tradi: servarum sortem etsi tolerabiliorem, quam apud recentiores fuerit Græcos, satis duram tamen et laboriosam prodi: tum omnia poetam jure suo verisimilia quidem ponere, sed eadem veris pulchriora. Homerico sæculo non, quemadmodum Christiano illi, annalium ex-

titisse scriptores, unde vatem arguas: fatorum beneficio, non veritate corrumpi importunâ Musarum illud Elysium, curarum diverticulum, solis ac pulveris refrigerium; cui non injuriâ illa transmiseris, quibus Deorum sedem Homerus exornavit.

——— οὔτ' ἀνέμοισι τινάσσεται, οὔτε ποτ' ὄμβρῳ
δεύεται, οὔτε χίων ἐπιπίλναται, ἀλλὰ μάλ' αἴθρη
πέπταται ἀννέφελος, λευκὴ δ' ἐπιδέδρομεν αἴγλη.

Ut vero dissipatur quasi nubes illa, quæ post Homericam ætatem rebus Hellenicis obvolvitur, relucescente continuo mutata videmus omnia; nec civilia magis, quam domestica. Pro solutâ rusticorum hominum vicinitate ubique fere invasit urbanorum societas arcta et pene familiaris: simul Civitatis species illa, morum Hellenicorum pestis atque conturbatrix, quâ omnium actionum fines, omnis felicitas, in publicum conferrentur, tolleretur propemodum vita ac felicitas domestica: quo facto non potuit non multum imminui generis fœminei dignitas atque momentum. Quam sane morum mutationem refert tum Architecturæ ratio summa a privatis ædificiis, satis illis quidem apud Homericos amplis atque commodis, in publicorum operum magnificentiam conversa, tum certaminum et spectaculorum, ut quæ res essent utilitatis ac delectationis publicæ, sumptus ultra modum amplifi-

cati. Et profecto Græcos ad ætatem in publico degendam cœlum ipsum nimis alliciebat. Enimvero domesticæ felicitatis et honestatis tum Romanæ tum Teutonicæ multum intererant Virgiliana illa

> " Et quidam seros hiberni ad luminis ignes
> " Pervigilat, ferroque faces inspicat acuto.
> " Interea longum cantu solata laborem
> " Arguto conjux percurrit pectine telas."

Ejusdem erat rationis, quod a ludis publicis, ut a summo liberorum hominum consortio, nunc demum fœminæ excluderentur. Neque cum hâc civilis consuetudinis depravatione non conjunctissimam fuisse censeo, quamvis Heroica quædam exemplaria antestantem, immodicam illam Amicitiæ vehementiam, cujus malum nequaquam gravissimum erat, quod affectus hominum a consanguineis suis atque uxoribus penitus avocaret. Cujus documento egregio esse potest Aristoteles, qui caritatibus omnibus sub uno Amicitiæ nomine comprehensis eam solam esse perfectam judicat, quæ inter pares contrahatur; amorem vero conjugalem, utpote qui sit in imparibus, vix currente calamo attingit. Postremo, quod gravissimum est, universâ honesti notione in actiones publicas, et quasi in lucem oculosque omnium collatâ, nulla conjugii sanctitas, nullum officium, utilitas tantum relinquitur

physica quædam atque politica. Morum vetustiorum suprema fortasse vestigia apud Achaicas Italiæ, Æolicas Bœotiæ ac Lesbi civitates deprehenderis: ex illis certe Pythagoricæ complures fœminæ exstiterunt, ex his Corinna, Myrtis, et cum discipulis suis Sappho; quarum libertas honesta et litterata adeo contra morem et rectum alienis videbatur, ut læsæ continuo pudicitiæ insimularetur. Nam cum eruditio omnis et educatio publicam solum felicitatem spectare crederetur, fieri non potuit, quin adimeretur iis, quarum in felicitate publicâ partes nullæ esse viderentur. Quod autem arctius domi occluderentur fœminæ, partim ea, quæ memoravimus in causa fuisse censeo, partim derelictas res rusticas, et servorum manibus transmissas, partim ingenia ipsa hominum sub hujusmodi institutis et opinionibus viventium. Quæ quidem omnia ita prætervehamur oportet, ut quæ per totum fere orationis cursum respicienda sint et observanda.

Jam civitatum vere Hellenicarum duæ sunt primariæ, et quasi in eodem genere diversissimæ: Sparta scilicet atque Athenæ. Quarum adeo non tam in rebus bellicis atque civilibus, quæ in gentes, ut nunc sunt, Occidentales commode traduci vix possunt, quam in opinionibus et moribus demum investigandis cognitionis summa nobis posita est. Itaque circa has potissimum nostra

versetur oratio. Quorsum enim attinet vicinitatis Ægyptiæ in Cyrenaicis fœminis, Lydiæ atque Cariæ in Ionicis contagionem, fœdos Mileti quæstus, pretiosa Corinthi dedecora, nec certa nec digna cognitu vestigare atque odorari? In Spartanorum autem exercitu illo potius quam civitate, ubi omnis ferme ætas esset aut militia, aut educatio militaris, aut castrensis quidam militum convictus, quæ mulierum esse virtus aut officia, quo tandem censeri potuit natura muliebris, nisi pariendo milites? Itaque hunc in finem quasi unicum dum cives suas institueret Lycurgus, non ingeniorum diversitates, non pudoris aut naturæ jura magni æstimavit. Cujus disciplinæ non mala dicam sed flagitia, quantum aberat ut compensare posset aut libertas virginibus necessario permissa, aut siqua fieret in choris gymnicis masculæ cujusdam gratiæ et pulchritudinis exhibitio. Tum ejusdem consilii erat, quod in connubia quoque, ut rem non juris privati sed officii publici, leges invaderent, quod adulterium etiam, modo liberorum quasi tributo solvendo fieret, teste Xenophonte, nonnunquam sanciretur. Dein matronæ, ademptâ virginum institutione pariter et libertate, non adeo facile divinaveris, quomodo ætatem degerint: quippe quibus rei familiaris curam Helotes, virorum exceptionem syssitia, liberorum denique educationem civitas præriperet. Quis

intercedat, quominus credamus adolescentiæ illi actuosæ ac pene violentæ senectam successisse vacuam quandam atque molestam, et studiorum omnium expertem?

Neque ullus tamen infitias ibo mulieres ut non in feliciore, certe in honestiore loco Spartæ fuisse, quam Athenis. Enimvero splendida permulta, quædam etiam bona Lycurgicæ isti disciplinæ non tam inerant, quam adjungebantur. Quorum inter prima numerandum est, quod recisis hominum libidinibus, non nomine solum sed revera singulas uxores haberent, et, quæ alioquin esse nulla potest, alta sequeretur et religiosa mulierum castitas. Deinde non veram fortitudinem, vel ad Helotas reprimendos, confirmaveris, quin elationem ingenii quandam et magnanimitatem excitaveris, magnanimitas vero, quod supra monuimus, nusquam non fœminarum affert verecundiam. Bellicosissimam quamque gentem γυναικοκρατεῖσθαι verissime docet Aristoteles. Rem acu tetigit Laeæna illa, quæ, cum interrogasset aliquis, curnam solæ Spartanæ viris imperarent; quia solæ, respondit, parimus viros. Matronæ dignissimo nomine δεσποῖναι appellatæ, nec usquam Græciæ tam magna erat fœmineæ opinionis in utramque partem æstimatio. Adsistebant gymnasiis virgines laudem atque infamiam quasi pro tribunali largientes. Tum Spartanus quisque ad bellum pro-

ficiscens clypeum a matre aut uxore accipiebat. Ad eandem aut referebat eum, aut in eo referebatur. ‘Malo in rumore es,’ dixit cuipiam, qui infamis a bello redierat, mater, ‘quem aut diluere te oportet, aut mori.’ Quid, quod ei, qui fortitudinis labem contraxerat, nubere refugiebant omnes, quod inventæ etiam, quæ suos ipsarum filios ob ignaviæ crimen occiderent. Sententiæ vero illæ, a Lacænis nobilibus editæ, quas Plutarchus litteris exaravit, quam plane animas Lycurgicæ disciplinæ spiritu afflatas referunt! Non injuriâ sane Deas pariter ac Deos armatas sibi fingebant Lacedæmonii. Non immerito dixeris memorabile illud ac prope unicum obedientiæ Spartanæ specimen apud Thermopylas editum tam ad fœminas, quam ad viros, tam ad Gorgo quam ad Leonidam pertinuisse. Modo meminerimus hanc speciem unanimitatis politicæ adeo magnificam non potuisse non, quod ad fœminas attinet, omnium depravatione quâdam et protervitate odiosâ, ultimis vero mollioris cujusque et imbecillioris animi miseriis constare.

Egregiam vero civitatem, si ut flecti parumper natura, ita penitus immutari posset; si cæteri homines aut nusquam fuissent, aut hostes! Cujus corruptionem per diversarum gentium contagia, per imperiorum illecebras, per ipsum denique temporis decursum immutabilia quæque anti-

quantem non nostræ est institutionis sequi. Verum in vietâ atque caducâ republicâ, et fluxâ Lycurgi disciplin, quamnamâ auguremur mulierum fuisse conditionem? Eam opinor, quam Aristoteles, in secundo Politicorum libro in civitatis primordia revocat. Is enim institutis Lacedæmoniis id vitio vertit, quod fœminæ non, sicut viri, Lycurgi legibus subditæ fuerint, quod licentiâ effrænâ lasciviant, luxui indulgeant, agrorum magnâ parte per dotes et hæreditates occupatâ nimium prævaleant, consilia etiam publica studiis iniquis invadant atque perturbent. Adjicit, et exemplo probat, audaciam illam tantopere quæsitam nihilo magis in bellicis, quam in quotidianis vitæ rebus profuisse. Thebanis, scilicet, arma inferentibus, plus turbarum civibus præbuisse fœminas, quam ipsos hostes. Quid autem verisimilius, quam mulieres Spartanas ita degenerasse, ut pro masculis virtutibus masculas induerent libidines, pro fortitudine pristinâ illâ morum immanitatem quandam et insolentiam assumerent, pro justâ opinionum auctoritate dominationem rerum publicarum injustam atque noxiam per opes et partium studia comparārent? Quæ si ita fuerint, debent certe vim cumulare sententiis illis, quas totus annalium Spartanorum cursus prodocet ac prope clamitat. Quarum una est, ne legibus omnino nimium confidas: in ipsis quærendum animis, quo contra animorum de-

pravationem lucteris; altera, ne quid contra naturam legibus contendas: gravem profecto eam majestatis suæ læsæ esse vindicem.

Quem errorem scilicet egregie declinasse sibi videbantur illi, ad quos devenit oratio nostra, Spartanorum æmuli Athenienses. Quid igitur?— in adultâ jam atque maturâ Democratiâ, cujus imago, ut opinor, semper mentibus nostris obversatur, quoties de moribus Atheniensibus loquamur, si quis Periclem, puta, interrogasset, quisnam libertate illâ tam decantatâ esset dignus, nonne responsurus fuisset; eum, qui civis natu esset et ingenuus, idemque moribus honestus? Quid igitur in causâ est, quominus eam fœminis quoque impertias? Nam imbecillitas, credo, quam causari potes, nihil natalibus aut morum honestati officit. Ecce libertatem tuam dimidiâ sui parte mancam et imperfectam. Nisi forte eam libertatem intelligis, quâ effrenentur libidines potentiorum. Quod si concedas, nunc demum ratio tua sibi consentit. Nihil contra libertatis nomen faciunt cives tui, quod terrarum omnium dominationem quo jure quâque injuriâ sibi moliuntur, quod imperant servis, inquilinis, sociis, quod mulierum denique imbecillitati superbe atque nefarie insultant. Nec admirationem ulli movere debet, si odiosum illum sui amorem, quo, sub speciosis nominibus comitia flagrant, in domesticam quoque vitam ferant, et

qui tyrannidos nomen abominantur, in eas, quas naturâ sibi subjectas habent, tyranni sint omnium gravissimi. Jam voluntatem publicam leges nimirum declarabunt: in quibus non injuriâ dixeris eam mulierum rationem fuisse habitam, ut quæ nec cives essent, nec homines. Siquidem humanum non est, ut res mancipi, in judiciorum venire disceptationem, abjudicari aliis, aliis adjudicari, quod in iis fœminis, quæ hæreditatem cepissent, etiam post nuptias usuvenisse constat. Deinde institutum ut mulieres sub tutela, vel matres filiorum, nunquam non viverent. Gynæconomorum officia explicare non admodum est in promptu. Tantum liquet, censoriam quandam fuisse eorum in mulieres potestatem, quæ pravitatem argueret tum illorum qui sancirent, tum illarum, quibus sanciretur. Nullus fœminarum in civitate locus, nulla porro vivendi causa, nisi ut cives Athenienses pariant. Quorum profecto stirps regia ne contaminetur, non quo connubiorum sanctitas servetur, adulteria et inquilinorum connubia juxta pœnis sævissimis coercentur.

Verum ut a scriptis legibus ad morum leges non scriptas, et efficaciores multo transeamus: in civitate illâ, cujus summa esset ratio, nihil coercere, educare omnia, ea erat mulierum institutio, ut coercerentur tantum, non educarentur. In mediis artium ac litterarum splendoribus, in urbe,

quod ait Pericles, Græciæ magistrâ, virgines Athenienses, civium consortes et matres olim futuræ, cubiculorum tenebris absconditæ, ab omnium rerum aspectu, auditu, cognitione ablegatæ, vitam et Athenas quasi per transennam prospicientes, bene texere, bene coquere, bene modestiam servare, hoc est, nihil velle aut muttire, a matribus sui similibus discebant. Deinde, ut ad nuptias ventum est, fit pactio, dos pernumeratur, desponsa virgo in ignotum prorsus conjugium, vel servitium potius abducitur, amicam fortasse filii nepotis, patris irati jussu, specie summotura. Quotus enim quisque virginis Atheniensis pater dicturus fuisset cum Chremete illo Terentiano, vel, ut verius dicam, Menandrio

"At istuc periclum in filiâ fieri, grave est."

ac non potius cum Simone

"Nempe incommoditas denique hac omnis redit;
"Si eveniat, quod Di prohibeant—discessio."

Quam porro discessionem vulgi opinio, ut fit, liberam relinquebat viris, mulieribus opprobrio vertebat. Tantum dotes amplæ, et repudiatis rescribendæ, viros uxoribus, quod aiunt, nuptos subinde exhibebant: quod Strepsiades ille Aristophanicus satis lepide in se ipso evenisse queritur.

Verum, ne vincere non repugnantes videamur, Iscomachum audias Xenophonteum, maritum palmarium, et sapientiæ domesticæ, vel Socratis judicio, antistitem. Notus est omnibus fere locus, in quo ille uxorem suam adolescentulam, omnium ignaram, et feræ nuper captæ instar obstupentem primo docet, eam ad liberos solum legitime procreandos, non amoris ergo esse ductam, deinde villicæ ac dispensatricis potius quam uxoris partes tradit, postremo monet, ut pigmentis abstineat, et venustatem potius vivam atque sinceram quærat: sic futurum, ut minus ab ancillarum quâpiam summoveatur. Quinetiam de conjugii causis ac rationibus ita philosophatur, ut ne verbo quidem indicet, eas mulieri partes a natura tribui, ut maritum recreet laborantem, otiantem oblectet, firmet in res adversas, dolores atque gaudia juxta cum eo participet, totum vitæ curriculum ei dulcius reddat atque honestius. Ne liberorum quidem educationem, primarium matris jus atque officium nisi tribus verbis attingit: idem de servis instituendis prolixe disserit. Quid igitur? Nonne Demostheni fidem habeamus, qui seipsum et cives suos hunc in modum criminetur—*τὰς μὲν ἑταίρας ἡδονῆς ἕνεκ' ἔχομεν—τὰς δὲ γυναῖκας τοῦ παιδοποιεῖσθαι γνησίως καὶ τῶν ἔνδον φύλακα πιστὴν ἔχειν.*

Unde simul ordiri possumus, si quid de Hetæris magis necessarium dictu quam jucundum est. Nam

cum nuptis pariter atque innuptis domo, ac prope cubiculo exire vetitum esset, cum alienorum omnium conspectu atque colloquio tam penitus interdiceretur, ut in convivio videri certissimum haberetur læsæ pudicitiæ argumentum, artium tamen et consuetudinis fœmineæ desiderium non potuit non hominibus tam emunctæ naris aliquando suboriri. Sine his nimirum cœnantibus putebant vina, marcebant rosæ. Itaque flagitiis per flagitia subventum est; omnesque mentium illecebræ, quæ in litteris, in sermonis jucunditate ac lepore positæ sunt, meretricibus transmissæ. Cujus generis princeps et exemplar exstitit Aspasia, ingenio atque doctrinâ digna, quæ Periclis Olympii deliciæ certe esset, magistra perhiberetur, cujusque in domum et convivia viri nonnulli Athenienses uxores suas secum ducerent, illa scilicet, quæ honeste tradi mos et opinio vetaret, a scortis clandestino percepturas. Adolescentium vero cum hetæris consuetudinem neque probro admodum versam fuisse constat, et in se ferme continuisse, quicquid amoris veri admitterent animi tam unice sui amantes. Conjugium liberale, amorum finis, malum necessarium, curarum et molestiarum initium, voluptatum ac prope vitæ veræ exitium. In promptu esset sexcenta proferre, qualia sunt illa

> γεγάμηκε δῆπου. Τί σὺ λέγεις, ἀληθινῶς γεγάμηκεν, ὃν ἐγὼ ζῶντα περιπατοῦντά τε κατέλιπον;

Quænam autem vulgo fuerit naturæ muliebris opinio et verecundia, ostendent nobis ex alterâ parte Euripides, poeta maxime popularis, et qui professus fuerit se fœminas ad vivum pingere, ex alterâ scriptores Comici. In Euripideis autem fabulis cum primas scelerum partes defendunt Phædrarum ac Medearum immanitates, tum vix ducentos usquam versus perlegeris, quin aliquid de fœminarum imbecillitate, inconstantiâ, immodestiâ vitiis ac flagitiis acerbius dictum inveneris. Neque ejus μισογυνείαν manifestam ullis machinis sustuleris, etiamsi idem naturæ bonitate, et sensibus mollioribus, quorum nequaquam expers erat, identidem victus, in diversa transeat, et Phædram quodammodo Alcestide rependat. Comicis vero mulier animal est nequam, prodigum, edax, temulentum, mendax, furax, omnibus malis confertum, seris et claustris custodiendum atque comprimendum ne, quo suâpte naturâ fertur, in omne genus libidinum erumpat. Facile videas escam auriculis improbis et insolentibus collectam: facile sentias stolide et odiose exsultantes, dum, quas quotidie omni injuriâ et contumeliâ afficiunt, opprimunt, depravant, deridendas iis et contemnendas assentator publicus propinat.

Quorum numero haud scio an, si ipsius sententiam spectes, eximendus sit Aristophanes, qui in fabulis suis nonnullis, satis illis quidem per se detestandis, mulierum atque caritatum domesti-

carum momentum auctum videtur velle, et ad mitigandos hominum furores et sananda patriæ vulnera conversum. Quod vero quis fœmineas Æschyli et Sophoclis personas nobis objiciat, animadvertendum est hos, contra atque Euripides, cum materie Heroicâ, Heroicos quoque mores assumere; jure poetarum servas in libertatem vindicare; desiderio denique mederi potius, quam sententiam voti compotem includere. Quanquam non tacitum equidem reliquerim, Sophoclem, quâ erat serenæ mentis amplitudine et humanitate, unum scriptorum Atheniensium naturam muliebrem et subtiles fœmineæ indolis colores quasi benigno animo amplecti. Neque profecto non divinare licet cum in cæteris rebus atque officiis, tum in fœminarum cultu et existimatione exstitisse nonnullos Athenis natos, non Athenienses. Erant certe qui Sophistarum ætate Socratem audirent, quorum gratiâ ille vitam suam vero impenderet. Quanquam vel nominato Socrate, continuo in mentem invadit acerba sane recordatio, illam, quam unam omnium maxime adesse oportuerat, cum is de Malo atque Falso morte demum triumpharet, a supremo et divino illo viri colloquio, ut indignam nimirum et molestam, summoveri. Verum hæc utcunque fuerint, vulgi certe vel candidioribus animis nullam, credo, indignationem movisset, si orator quispiam postquam viris patriæ

clarissimæ amorem et gloriæ cupidinem igneis sane verbis accendisset ad cæsorum matres demum et uxores conversus putidum illud atque frigidum eliquasset, *εἰ δέ με δεῖ καὶ γυναικείας τι ἀρετῆς, ὅσαι νῦν ἐν χηρείᾳ ἔσονται, μνησθῆναι, βραχείᾳ παραινέσει ἅπαν σημανῶ· τῆς τε γὰρ ὑπαρχούσης φύσεως μὴ χείροσι γενέσθαι ὑμῖν μεγάλη ἡ δόξα καὶ ἧς ἂν ἐπ' ἐλάχιστον ἀρετῆς πέρι ἢ ψόγου ἐν τοῖς ἄρσεσι κλέος ᾖ.*

Neque porro hæc verba earum, quæ audirent, ulli non satis convenienter dicta videbantur. Adeo omnes iis elatioris spiritûs igniculos, omnem dignitatis suæ conscientiam quotidiana depravatio extinxerat: adeo vel quæ optimæ essent nihil sibi spei aut voti nihil officii aut laudis a natura datum credebant, nisi unius arbitrio servire, genus propagare, texere, silere. Quam in sententiam mulier quædam interrogata, quomodo laudem assequi speraret, respondisse fertur Homeri verbis

ἰστὸν ἐποιχομένη καὶ ἐμὸν λέχος ἀντιόωσα.

Itaque virtutis vere fœmineæ aut conjugalis exemplum, qualia apud Romanos permulta exstiterunt, apud Athenienses, ne apud Græcos dicam, inveneris ferme nullum. Mulierum autem vulgo quid reliquum fuisse credas nisi ut in eam pravitatis viam, quasi omnium opinionibus et sermonibus designatam, ferrentur præcipites, et quæ

affectibus et studiis altioribus omnino vacuæ crederentur, libidinibus solum indulgendis totæ incumberent? Si documenta quæras, ad Aristophanem te conferas oportet. Videbis ibi, quæ et per se verisimillima sunt, et nemo, nisi vera coram patribus et maritis prolaturus fuisset; mentes vanas, sordidas, nugis et ineptiis penitus occupatas, morum protervitatem, sermonum obscœnitatem, servile in dominos odium, conjurationes atque fraudes serviles. Deinde ancillæ, quibuscum semper vivendum erat et colloquendum, paratæ flagitiorum omnium hortatrices et ministræ. Neque sordida tantum et pudenda vitia, sed immanitatem quoque et feritatem quandam deprehendas in facinora identidem atrocissima, cædes ac parricidia, erumpentem: quod in abjectissimis semper naturis, et belluarum simillimis fieri satis est compertum.

Tum religiones etiam, quarum purior communitas mulierum animos solari nonnihil et excitare, easque cum viris aliquatenus connectere et æquare potuit, in diversa omnia magnâ saltem ex parte evaserunt. Quod Panathenæis quidem et Mysteriis Eleusiniis, civilibus illis, his quasi humanis sacris, interessent fœminæ, magnum erat: immo permagnum, si, quod plerique augurantur, Mysteriorum ea fuerit ratio, ut spes quasdam et notiones sublimiores quasi sparsos lucis abreptæ radios servarent et im-

pertirent. Sacrorum autem vere muliebrium, ut Vigiliarum Cereris, vis longe alia fuit. Quorum libertate et consuetudine raro concessâ in fœdissimam licentiam abutebantur, et impias inter se superstitiones orgiis obscœnis celebrabant. Utrum necne Dionysiis interfuerint fœminæ, eruditiorum hominum litem, non nostrum est dijudicare.

Bello denique Peloponnesiaco mulierum conditionem inter cætera pessumdatam fuisse tum clare indicat Aristophanes, tum multa sunt unde conjectemur: quippe ubi omnibus in arctum coactis familiæ confunderentur, interirent studia rustica et domestica, viri foris militarent, domi in judiciis et comitiis viverent, et quasi publice mendicarent, animorum denique glisceret ferocitas, molles aditus intercluderentur. Tum eodem tempore, quod et ipsum domesticæ cujusque caritatis dirimendæ erat, plurimos ad se trahebant illa partium sodalitia, omni naturæ et consanguinitatis vinculo, teste Thucydide, prælata, in quibus certum aliquid atque ratum, rebus omnibus circa fluitantibus, conjurantium animi sibi tenere videbantur. Nec alio fortasse tendebant societates, quæ plurimæ delectationis tantum et conviviorum causâ eodem tempore instituebantur, hominibus, ut fit, inter miserias privatas atque publicas, in quotidiano fortunarum et capitum periculo vesane bacchantibus et comissantibus.

Hæc sunt ferme, quæ de Græcarum mulierum conditione enucleare potuimus. Operæ tamen pretium est videre quænam de hâc re cogitaverint ac senserint qui ex ipsis Græcis ingeniosissimi exstiterint. De Euripide quidem, philosopho scenico, jam antehac verba fecimus. Qui dum in illâ, quam circum se videt, societatis humanæ ratione acquiescit, nec mutandam eam, sed perficiendam statuit, nihil omnino, si ad calculos eum revoces, de fœminarum institutione præcipit, nisi ut arctius ac diligentius custodiantur. Itaque hoc nusquam non agit hujusmodi locos proferendo

———— αὐτὸ τοῦτ' ἐφέλκεται
κακῶς ἀκούειν, ἥτις οὐκ ἔνδον μένει.

Et

ἀλλ' οὔποτ', οὔποτ', οὐ γὰρ εἰσάπαξ ἐρῶ
χρὴ τούς γε νοῦν ἔχοντας, οἷς ἔστιν γυνὴ,
πρὸς τὴν ἐν οἴκοις ἄλοχον ἐσφοιτᾶν ἐαν
γυναῖκας· αὗται γὰρ διδάσκαλοι κακῶν.

Plato autem et Aristoteles, ut decet, multo altius rem movent. Sentit uterque scientiam politicam, quod ad fœminas attinet, graviter claudicare, partem civitatis dimidiam quasi inutilem et supervacaneam trahi, nullâ educatione aut disciplinâ a rerumpublicarum conditoribus dignatam, nihil ad felicitatem publicam conferentem, nihil inde per-

cipientem, inter civium otium liberale et servorum opera, nullo proprio officio, mediam pendentem. Itaque pro se uterque et ratione suâ morbo manifesto mederi instituit. Plato errore fatali illo gentis suæ, ut salvâ ejus majestate dicam, nimium imbutus, qui civitatis ergo homines, non hominum gratia civitatem institutam intelligat, vitam ac felicitatem, nisi civilem, nullam relinquat, rerum naturam disciplinæ suæ, non naturæ disciplinam suam accommodare velit, eandem, ut animalium utriusque generis, ita fœminarum ac virorum naturam esse judicat, easdem porro virtutes, eadem officia; illas imbecillitate solum ab his differre. Itaque, cum ex animi sententia instituta fingit, impertit mulieribus tum liberale illud otium, miris operarii cujusdam populi adminiculis suffultum, tum educationem gymnasticam atque musicam, magistratus, studia bellica. Quam sententiam in Legum libro ita retractat, ut se nequaquam expediat; duas tantum pro unâ civitates instituat, unam virorum, fœminarum alteram, utramque suis syssitiis atque gymnasiis, cæteroque felicitatis publicæ apparatu juxta instructam. Quod vero omnium est tristissimum, morum magister ille tam divinus, tam, prope dixerim, Christianus, dum nimio societatis vetitæ appetitu flagrat, præceps defertur in nefandam illam mulierum communicandarum rationem, quæ, velut somnium quoddam

prodigiosum turbatissimo quoque tempore et ægrotantibus hominum animis recursare solet.

Aristoteles vero, ut qui naturæ semper vestigiis insistat, felicius multo rem gerere videtur. Nam primo Ethicam, Œconomicam, Politicam distinguendo, Politiæ formas plures admittendo, verba illa Græcis auribus inaudita proferendo ἄνθρωπος τῇ φύσει συνδυαστικὸν μᾶλλον ἢ πολιτικὸν, ὅσῳ πρότερον καὶ ἀναγκαιότερον οἰκία πόλεως, etiamsi non ubique sibi consentiat, saltem se non eum esse ostendit, qui vitæ summam prorsus in civitate collocet. Deinde amicitiam inter viros ac mulieres, ut non primariam, naturalem certe, nec tyrannicam, sed aristocraticam ponit, diversas inter se mulierum ac virorum naturas statuit, diversas porro virtutes, sed ita diversas, ut in communem finem contendant. Idem vero, cum ad nodum ipsum tandem perventum est, finem eum physicum solummodo et œconomicum describit, virtutes autem muliebres ita definit, ut parentium et imperantium tantum diversitates sequatur, deinde in modestiæ ac temperantiæ, non virtutis actuosæ, speciem et popularem illam cantilenam relabatur; γυναὶ, γυναῖξι κοσμὸν ἡ σίγη φέρει. Amicitiæ autem conjugalis notionem bene inchoatam adeo omittit, ut eam una vivendi appetitionem, sine quâ amicitia perfecta esse nulla potest, uxoribus prope eximendam judicet. Materna vero jura atque officia, quibus

exsequendis uterque philosophus multum se expedire potuit, neuter nisi obiter attingit.

Quodsi a philosophorum commentis ad exemplaria illa, quæ virtutis muliebris summa sibi effingere debuit gentis Hellenicæ ingenium, Dearum nempe personas, te convertas, videbis, opinor, aut viragines, aut Minervam atque Junonem, aut obscœnas libidinum patronas, aut formas denique Orientalium numinum similes, et ab omnibus vivi ingenii coloribus, quibus Deorum imagines vigent, penitus abstractas.

Ac vereor equidem ut Græci, etiamsi legem sibi ingenitam sequendo permultos in hac re errores, flagitia permulta declinare potuissent, ad verissimam naturæ muliebris existimationem unquam perventuri fuissent. Nam virtus Ethnica ferme virilis est, et cum eâ, quâ irascimur, animi parte conjunctissima. Quod tum vocabula ipsa indicant, Virtus et ἀρετὴ, nisi perperam de iis judicaverint etymologici, tum egregie confirmare videntur Aristotelis locus, φαῦλα μὲν ἄμφω, καὶ τὸ ἀδικεῖν καὶ τὸ ἀδικεῖσθαι, et Magnanimitatis, quasi virtutis omni numero absolutæ, species ab eodem philosopho descripta: quæ quantum a naturâ muliebri abhorreat nemo non videt. Nec in Theologiâ Ethnicâ ullum inerat subsidium. Itaque genus fœmineum nullâ levatione aut perfugio pœnas Primi Sceleris servitute expendebat. Quam servitutem dominus pro arbitrio suo vel

amore et humanitate tolerabilem, vel acerbitate miserrimam reddebat. Alioquin nihil usquam aut solatii aut auxilii erat. Quod mulier quædam apud Euripidem satis ad vivum exprimit.

ἡμᾶς ἀνάγκη πρὸς μίαν ψυχὴν βλέπειν.

Tum Judæis quidem Legis Sacrosanctæ obedientia, et rerum sacrarum communitas mulieres cum viris, cum liberis servos æquabat atque conjungebat. Nobis autem Christianis, nuntio demisso, quo summa quæque inter homines infimis postponantur, Heroica demum virtus est animi humilitas, fortitudo patientia, libertas servitium Dei; quibus natura muliebris nescio quo pacto vel accommodatior videtur esse quam virilis: quocirca nunc tandem nihil impedit, quominus justas suas in re humanâ partes, justam dignitatem et quasi lene ac benignum quoddam imperium fœminæ obtinere possint.

Quam gravibus autem suppliciis hanc mulierum depravationem luerint Græci, explicare supervacaneum est. Quam enim ætatem, quæ studia, quos mores illâ peste caruisse credas? Quæ statim natos necesse est in matrum gremiis exceperit, per vitam ingeniorum servilium consuetudine dehonestaverit, senescentes denique et morientes solatio fraudaverit. Neque profecto publica illa felicitas, quæ mulierum ac servorum miseriis in-

nitebatur, diremptâ necessitudinum catenâ, per quam natura amorem sui cum amore patriæ conjugavit, cum nihil relictum esset in vitâ secretum aut sanctum aut plebiscitis non mutabile, permanere ullo modo potuit. Quanto melius cum ad vitæ domesticæ honestatem et dulcedinem, tum ad officiorum civilium constantiam et gravitatem con ducebant Romana illa

> Quodsi pudica mulier in partem juvet
> Domum atque dulces liberos
> Sabina qualis, aut perusta solibus
> Pernicis uxor Appuli,
> Sacrum et vetustis exstruat lignis focum
> Lassi sub adventum viri.

Tantum abest ut nobis desideranda sit rerum publicarum species illa tam luculenta, et omni numero expleta, et, præ civitate nostrâ tam perplexâ et incompositâ, primo quidem aspectu pervenusta: quasi Tragœdias illas artificiosas atque angustas cum fabulis conferas Shakesperianis, vitæ omnis, animorum omnium capacibus! Tantulam postremo veritatis portionem exprimunt Aristotelis verba ὅσοις τὰ κατὰ γυναῖκας φαῦλα, σχέδον κατὰ τὸ ἥμισυ οὐκ εὐδαιμονοῦσι!

GOLDWIN SMITH,
E COLL. MAGD.